



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

LXXX. Ariditas mentis repente depulsa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

omne illicò concidit; hælit quasi stupens misera tantisper, tum in fletu effusa, crimen suum, & mentem falsa est contemnerati baptismatis. Complexa pœnitentem matrona cum lacrymis S. Ignatium agnoscere docuit, mutationis tam subitæ auctorem; eiusque ipsa gemmam esse quam dare se dixerat; duxit è vestigio in templum rogantem, ac inter eundem multis cum lachrimis, sacra ipsa assiduo osculo venerantem, inde animo apud Sacerdotem expurgato, ille penitus excidit, cuius insanierat amore.

Sensit in causa admodum dispari, par S. Ignatij patrociniū alia matrona, agebat illa Catanzari, non modo Christianam vitam sed non vulgaribus studiis virtutum exercitam, potissimum vero contemplationi cœlestium, cui Deus vicissim magnas reponerat animi voluptates. Factum nihilominus aliquando, ut hæc illi vena deliciarum arefceret, & obrebrata mente, precationis pabulum alias tam dulce pro supplicio haberet; ac tentabat quidem omni ratione teneritatem priorum sensuum, sed frustra revocare; quoad fortè coniectis in S. Ignatium oculis, quem in altari domestico colebat; supplex, ingentique affectu, præsentis suæ inopiæ subsidium ex eo petiit, qui tam celso gradu familiaris apud Deum gratiæ fuisset; mox tanquam aperto sibi cœlo, luce subito tam clara tantoque ardore perfundi, ut duarum horarum spatio, Dei amore tota disfluere, diei reliquum, suavissimis in Deum animi motibus fruere, quos multis postea identidem mensibus, eius diei repetita memoria accendit.

Cuenca vrbs est in nouo regno Granatensi. Illic nobilis matrona videns infantem filiolum in oculis morientem, ad S. Ignatium cuius habebat depictam tabulam conuersa, moriturum ei filium obtulit, ut si placitum Deo foret seruaret incolumem. En autem hic late splendere vultu sanctus, & infantem versùs brachia pandere; vice versa infans exporrigere in sanctum brachia, velut in amplexus mutuos enitens, & in eo conatu innocentem animam efflauit. Mater luctu in iucundissimam consolationem commutato, miris gaudiis profecuta est filium ab S. Ignatio extra salutis pericula inter sanctos subductum.

In S. Ignatij (quæ vna est de septem coloniis ad Paranam Paraguaia fluium sitis) nostrorum curæ commissus iuuenis, calumniam passus est, ob quam eiectus è Sodalitate B. V. etiam carcere clauditur, cuius casus dolorem non ferens, laqueo vitam finire decreuit; quod haud scio quo pacto interceptum misero non processit. Itaque de media nocte, eandem animo versabat desperationem, cum ianua rimas magna luce distendi aduertit, conspicaturque esse aliquem ex amicis à quo viseretur. Erat is verè amicus S. Ignatius, qui se illi spectantem præbuit luce immensa fulgens, oréque exporrecto, & hilari, ut qui desperantem erecturus venisset, tum eius capiti manu blandè imposita; esto, ait securus, fili, nihil istic abs te peccatum est, breuique hinc liber amitteris: quibus dictis recessit. Adolescens ex magna commotione animi, in clamorem erumpens, vicinos

KKk exciuit,

LXXX.

*Ariditas  
mentis re-  
pente depul-  
sa.*

LXXXI.

*Infantis mors  
cum miracu-  
lo beata.*

LXXXII.

*Desperans ab  
S. Ignatio  
confirmatur.*